

CCCXLV.

R. 3097 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 169. f. min. per duas columnas probe scriptus, rubricis illustratus et prius *Monasterii Sancte Dorothee in Vienna* sequentia complexus est: I. *Incipit expositio super libros de ciuitate Dei beati augustini secundum fratrem Thomam (Walleys) et fratrem nicolaum triuehti de anglia.* Initium Prologi est: *Fluminis impetus letificat &c.* Quod plures adseruere, duos hosce D. *Dominici* Sodales junctis operis in *Augustinum* commentatos fuisse, jure rejiciunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 562. et 599. nam ipse *Thomas* in Prologo *cit.* ait: se non nisi *expositionem quandam super X. libros primos* composuisse, et *Trivetus* totum opus exposuit Prologo ejus sic incipiente: *Gloriosa dicta sunt de te &c.* Adde, quod hic *Thomae* se multo junioris laborem videre vix potuerit. Librariorum igitur negotium fuit, *Thomae*, ubi definit, subcenturiare *Nicolaum*, ut inde confurgeret integer Commentarius, cujus rei fidem facit Rubrica nostra fol. 128. p. 2. *Finitur Opus secundum fratrem Thomam valeis ordinis predicatorum sacre pagine professorem. Sequentia sunt de expositione fratris nicolai Triuehti Magistri in theologia eiusdem ordinis, ne opus imperfectum obmissis sequentium librorum expositionibus videretur.* Sit ita, non tamen absque *Triueti* injuria, quem hac ratione *Thomae*, ut ita dicam, Cau-

datarium fecere, iis, quae in X. Libros priores commentatus est, nunquam prelo subjectis, licet *Thomas* cum ejus Subplementis typis pluries expressus extet.

II. fol. 143. p. 2. sequitur, ut e calce adsumo, *Liber Seneca de 4^{or} virtutibus cardinalibus per manus bainrici.* Initium est: *Quatuor virtutum species multis sapientum sententiis diffinite sunt &c.* Libellus *Martini Ep. Braccarensis*, ut jam non semel superiore *Vol.* dictum est.

III. fol. 143. p. 2. *Incipiunt sententiae Prosperi in libros sanctissimi Augustini Episcopi et doctoris eximij.* Habentur illae in *Edit. Prosperi Aquit. Paris. 1711. col. 543. f. numero CCCXCII.* cum nobis alia solum divisione CCCXC. censeantur. Ineunt: *Innocentia vera est, que nec sibi nec alteri nocet &c.* et finiunt: *memor autem eris si te ipsum respexeris. De Prosperi consilio docet Admonitio Editioni cit. praemissa.*

IV. fol. 159. *Cassiodorus de amicitia vera.* Init: *Quoniam diminute sunt veritates a filiis hominum &c.* Deest Libellus alter *de Caritate seu Dilectione Dei* saepius huic conjungi solitus. De utroque vero ad *Petrum Blesensem* transferendo dixi cum hoc, tum *Vol. I. P. I. col. 929.* Ad calcem hic: *Explicit a Hainrico, nempe Librario.*